



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Illvstrissimi Viri Petri De Marca Archiepiscopi Parisiensis Dissertationvm De Concordia Sacerdotii Et Imperii, Sev De Libertatibvs Ecclesiæ Gallicanæ, Libri Octo**

**Marca, Pierre de**

**Parisiis, 1669**

X. Ampla illa Archiepiscopi istius auctoritas effecit ut ei Patriarchæ dignitas & appellatio tributa sit à nonnullis antiquis scriptoribus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15617**

ita hoc loco intelligendum esse ut de synodo agat Illyriciana earum tantum provinciarum quæ primæ Iustinianæ Episcopo subiectæ erant, id primò prohibet, quòd probabile non sit eam synodum aliquid auctoritatis fuisse super suo Archiepiscopo, quem Episcopi illarum provinciarum contemnere tam citò non poterant, vivo adhuc Iustiniano, præsertim cum causæ personæque Archiepiscoporum istius sedis subiectæ essent Romano Pontifici, ut adnotabitur paulò post. Prohibet præterea Facundus Hermianensis, qui inter defensores Trium Capitulorum nominat Episcopos Helladis, Illyrici, atque Dalmatiæ, haud dubiè dicturus cujus Illyrici, si factum id fuisset in synodo earum tantum provinciarum quæ primæ Iustinianæ fuerant contributæ. Scio sanctum Gregorium ad Episcopos scribentem earundem provinciarum, de ordinatione Ioannis Episcopi primæ Iustinianæ, epistolam suam direxisse *universis Episcopis per Illyricum*, eos admonens uti ei, qui vices apostolicæ sedis obtineret, in his quæ ad ordinem ecclesiasticam rectitudinemque pertinent disciplinæ, sive in aliis quibus canonum decreta non obstant, parere nullo modo differrent. Certum est sanctum Gregorium heic Episcoporum Illyricianorum nomine eos tantum intelligere qui Ioanni subiecti erant ratione suæ Ecclesiæ, neque accipiendum esse de universis omnino Episcopis Illyrici, unde concludi posset Victorem quoque Tunnonensem locutum esse de synodo Illyriciana earum tantum provinciarum quæ à jurisdictione Thessalonicensis antistitis resectæ, in jus & potestatem transierant Archiepiscopi primæ Iustinianæ. Verum non arbitror, ut jam dixi, auctores aliquid super Benenato Episcopos earum provinciarum, recentibus tum initiis dignitatis ejus quam illi lege sua contulerat Iustinianus, præsertim cum nullibi extent indicia contradictionis eorum. Dispar ratio erat Episcopi Thessalonicensis: qui cernens sibi fieri injuriam, ac se deprimi, ut iste attolleretur, eum haud dubiè non habuit pro Archiepiscopo, adeoque eum, tanquam adhuc sibi subiectum, in sua synodo damnavit. Simile aliquatenus exemplum habemus hodie in causâ archiepiscopatus Parisiensis, resecti ab archiepiscopatu Senonensi auctoritate Urbani VIII. Romani Pontificis, cum consensu Ludovici XIII. Regis Francorum Christianissimi. Nam licet iste sit constitutus in urbe regia, dignitatèque suam semper retineat, Archiepiscopus tamen Senonensis illum diù non habuit pro Archiepiscopo, eumque ad conventus ecclesiasticos provincie suæ post ea tempora evocavit, etiam in

oculis Principis. Quidni Episcopus Thessalonicensis, cujus magna hæctenus auctoritas apud eas gentes fuerat, quisque plurium magnarum provinciarum ejus imperio fuerarum favore haud dubiè adjuvabatur, idem audeat adversus Episcopum primæ Iustinianæ?

IX. Nihil tamen contradictione sua effecit Episcopus Thessalonicensis, mansitque novo Archiepiscopo auctoritas quam illi lege sua & commendatione apud Romanos Pontifices procuraverat Imperator Iustinianus. Discimus istud ex epistolis sancti Gregorij, quæ docent eum unà cum Pallio vices suas Ioanni Episcopo primæ Iustinianæ commisisse *juxta morem*, & iterata, ut ipse ait, *innovatione*. Vnde rectè concludit illustrissimus Archiepiscopus, id circa Episcopos sedis illius observatum esse per illas tempestates, ut Romani Pontifices singulis Archiepiscopis, statim ac isti consecrati erant, vices apostolicæ sedis & Pallium conferrent, & causas personarumque eorum subiectas fuisse censuræ Romanorum Pontificum. Ioannes Episcopus primæ Iustinianæ Hadrianum Thebanum Episcopum ab episcopatu dejecerat occasione vicium sedis apostolicæ, ut docet sanctus Gregorius. Venit is Romam, de iniquo iudicio expostulaturus. Gregorius verò suscepta causæ istius cognitione, sententiam Ioannis, tum quia suspensâ erat per appellatorem ad sedem apostolicam, tum quia contra leges canonicasque prolata ipso non poterat jure subsistere, cassavit, & Hadrianum Thebanæ Ecclesiæ restituit, Ioannem porro, donec aliquid gravius circa ipsum decerneret, triginta dierum spatio sacra communione privavit.

X. Ampla illa Archiepiscopi primæ Iustinianæ auctoritas effecit ut ei Patriarchæ dignitas & appellatio tributa sit à nonnullis antiquis scriptoribus, ejusque propterea subscriptionem in ordine Patriarcharum admiffam in Trullana synodo putaverit illustrissimus Cardinalis Perronius, similitudine nominum deceptus; cum tamen in ea synodo non agatur de Archiepiscopo primæ Iustinianæ, sed de Episcopo Constantiæ Cypri, quæ & Iustinianopolis dicebatur, ut observatum est ab illustrissimo Archiepiscopo.

XI. Per eadem fortean Iustiniani tempora Thessalonicensi Episcopo adempta est auctoritas in Achaïam & Hellada, quæ Corinthio Episcopo ceu Romani Pontificis Vicario deinceps paruerunt. Hellados certè tanquam ab Illyrico distinctæ meminit Facundus Hermianensis, qui scribebat ævo Iustiniani, ut supra dictum est. Præterea sanctus Gregorius ad Ioannem Corinthiorum Episcopum scribit se, prædecessorum suo-

Armenia lib. 1. c. 1. & in Theod. lib. 1. pag. 177.

Gregor. lib. 1. c. 1. & in Theod. lib. 1. pag. 177.

S. Gregor. lib. 4. Indict. 15. epist. 15. 19.

Morca in lib. de Primat. f. 47.

S. Gregor. lib. 1. Ind. 11. epist. 4.

Vide suprad lib. 1. cap. 9. f. 1. & in lib. de Primat. f. 44.